



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Tanaa Oppidvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11473

COMMENTARIUS.

243

ac pomis eo tempore victitant. Lingua cognitu difficillima, nec vllum habet cum Arabica Æthiopicave commercium. Litterarum vsus apud eos nullus omnino. Maurum habent Xeguem, siue præfectum, qui ab incolis valde timetur, tamen neminem vi ad Maurica sacra compellat. Ita porro de se magnificè sentiunt, vt nullam aut terram aut vitæ rationem suã vel meliorem vel beatiorem existiment. ad quos è Societate duo, rei Christianæ causa, profecti, sæua statim febris in summa egestate ac solitudine vterque correptus, alter etiam extinctus est.

BAZAINVM VRBS.

Nec Bazaini, Societatis Collegium deest, eiusdè Lusitanix Regis beneficentia constitutum. Ibi tũ iuuentute humanioribus litteris excolenda, tum ceteris omnibus ad Christum vocandis præclare admodum opera ponitur. nam & adolescentes quàm egregia sint indole atque ingenio præditi, vel vnus Brachmanis primarius filius declarauit, annos circiter septemdecim natus: qui cum iam litterarum Indicarum duo genera vel tria teneret, Arithmeticæque peritissimus esset suæ: litteras nostras & legere & scribere mensis vnus spatio perdidicit; nunc autem Arithmeticæ nostræ vacabat: idem pietatis ac religionis laude ita præstans, vt reliquos ipse ad virtutem atque officium hortaretur.

TANAA OPPIDVM.

TAnaa est oppidum à Bazaino passuum millia sexdecim, vbi etiam Socii aliquot ingentem Christianorũ numerum partum ab se tuentur atque augent. Ad eos venit è remota continentis regione senex, annũ, vt videbatur, agens propè octogesimũ, ita deformatus & squalidus, adedè torrida cute & strigosa, vt anachoretam referret pellibus camelinis indutũ. Is edes Sociorũ ingressus, ait velle se fieri Christianum. edisserit illi ex iis quidam pro captu hominis summatim articulos fidei, deinde quærit, oportetne ex animo Christianus esse. Cui senex: Atqui nullo modo (inquit) aliam ob causam hucusque contendit. Crede igitur, (inquit Socius) sistitque eum ad sacratissimæ virginis, puerum IESVM inter vlnas habentis, imaginẽ pictã in tabula. quã senex vt vidit, summa animi iucunditate ilico amplecti, puerũ Iesũ venerabũdus exosculari, tũ vehementer petere, vt nulla interposita mora baptizaretur:

*Brachmanis ad
adolescẽtia
ingeniũ
ac pietas.*

*Senex 80
annos natus
è continẽte ad
Socios fidei
causa proficiscitur.*

Pueri & puella de barbaris empti ad Christi aggregantur.

ætatem suam ne vnum quidem præterea diem recipere, postmodum stridie igitur baptizatus, prima luce insequenti migravit ad Dominum. Multi etiam pueri ac puellæ de barbaris parentibus empti, quos ipsi parentes alioqui Mauris venditare solent, ad CHRISTI familiam aggregantur. quorum aliqui è vita discedunt, IESVM in extremo spiritu pronuntiantes. vnus ex iis, denariis tribus & semis, alius sesquidenario stetit, vt hinc satis appareat, quàm sint incomprehensibilia DEI iudicia.

Puerivariis rebus exercentur.

In eadem Tanaati mansione, magna puerorum manus partim litteris instituitur, & Christianæ doctrinæ præceptis, partim etiam variis in vsu hominum artibus atque officijs: alii quippe calceariam, alii vestiariam sutrinam, alii textrinam, alii ferrariam fabricam exercent, nocteque se in ædes Collegii quietis & cibi causa cum receperunt, Carichisnum ac Litanias alternatibus choris religiosè admodum cõcinunt. Sunt etiam qui agro colendo dent operâ: ii gaulpinis induti per hyemem in opus exeunt ad Trinitatis vicum tria passuum millia ab vrbe distantem, quo in agro batem (frugis nomen id est, qua ferè victitant) cepearum in modum serunt, capita singula manibus collocantes, ingenti sane labore: qua opera simul & ipsi agriculturam addiscunt, & ceteros incolas Christianos artifices interim adiuuant, vt cum maturum deinde fuerit, ipsorum agricolarum filias in matrimonium ducant. Appellatur autem hic Trinitatis vicus, propterea quod in eo campo delubrum in primis celebre, quod operis magnificentia & elegantia, eius regionis delubra, quæ multi ac perampla sunt, omnia superabat; à Sociis area cõempta cepiatum, & sanctissimæ Trinitati dicatum est. Campus autem iuxta fanum ipsum à Christianis incolitur operariis, quos iidem Socii conuersos ad Dominum maxima ex parte pauperes in ea prædia deduxerunt, omnibus ad victum cultumque necessariis rebus benignitate Lusitanie Regis instructos, nam & vestimenta ipsis, vxoribus, liberisque & oryza in cibum cum opus est, & ad serendum semina, & boues cum aratri affatim præbentur ex amplo ædificio ad rem pecuariam instituto, pastoribus etiam adhibitis, qui armenta curent. Ex eo ædificio educta manè bouum iuga quotquot ei sunt opus, Christianus quilibet (quingenta enim alantur ibidem & eo amplius) perfecto opere in lectum idem re-
ducit.

Lusitania regis liberalitas.

Empti

Empti sunt etiam fundi quidam, è quibus annui capiuntur aurei nummi ferè trecenti. quæ pecuniæ summa partim in viduas erogatur, & orbos orbâsque quibus quotidianus labor in victum haud sufficit, ægrotosque pauperes & Catechumenos interea dum erudiuntur; partim etiam iis qui reddendo soluendoque sunt, mutuò commodatur. Caprarum præterea greges earumque custodes aluntur, casa excitata vnde patres familias suam quisque lactis portionem quotidie filiolis perant, cuius toto anno copia suppetit: binos quippe ternosve quot annis hædos ferè singulæ pariunt. Iam verò fruges spatiosus ager largè suppeditat, vt nihil omnino ad sustentandam vitam illis deesse videatur. Sunt autem omnes & boni coloni, & boni viri. itaque mores eorum barbari valde suspiciunt. Christianæ fidei mysteria præceptionesque assidua magistrorum diligentiâ exercitati calant egregiè. quotidie ad signum Angelicæ salutationis cuncti conueniunt, & sanè piè Christianæ doctrinæ elementa viri feminæque pronuntiant. quin etiam in siluis, pueri, & è summis palmarum arboribus viri exaudiuntur præcepta Decalogi decantantes. Atque idcirco etiam minus grauatè, quanquam in summis occupationibus, non plus quatuor aut quinque Socii totum illud rei familiaris negotium, ceteroqui ab eorum instituto valde alienum, sustinent, quòd per eam occasionem Ecclesia Domini in annos non mediocriter crescit. Iam verò ex ipsis vnus Chirurghi quoque munere fungitur, curatque DEO adiuuante vlcera & apostemata, æquè aspectu horribilia, ac genere ipso periculosa.

In medio Trinitatis vico horti sunt in communem vsu, valde spatiosi & irrigui, perpetua saliente, multis vitibus, ficibus, medicis malis, & plantis aliis confiti.

Tanaates autem incolæ etiam ipsi multiplicantur in dies. ii quòd maritimis copiis adiuuantur, iidemque vel opificiis vel agriculturæ satis impigre dediti sunt; propterea nec lactis, nec publici pecoris tantus apud illos est vsus. illud seculò curatur, vt in virtute ac pietate proficiant. Semel profestis diebus, festis verò his etiam, Catechismus illis exponitur. habent etiam supplicationes valde religiosas candidatis pueris carmina sacra psallentibus: quo in genere ii pueri adeò excellunt, vt ad celebriores supplicationes Bazainû euocentur. iidem elata ad sepulturâ fideiû cadauera cū psalmodiâ funebri prosequuntur. Cruce prælata, nā fererunt ipsum

ipsum gestat Christiani quatuor, soleni Misericordiae sodalitati ornatu. quæ funerum caremonia & Christianis & ipsis ethnicis vehementer probant.

Denique circa Bazainum urbem ad passuum triginta circiter millia Socii castella regia inuisunt, magno & Lusitanorum bono, quos in officio ac pietate corroborant; & barbarorum, quos ab erroribus atque superstitionibus ad cultum Christi perducunt.

HORMVTIVM INSVLA ET

V R B S.

Hormutium est insula in sinu Persico, urbē eiusdem nominis continens. Ea quod vel propter inquilinorum colluuiem mixtā è variis nationibus ethnicis, Mauris, Iudæisque, Christianorum, qui morantur ibidem, fidei sinceræque religioni valde periculosa, vel propter nimium solis ardorem æstusque grauissimos, humanis corporibus est vehementer infesta; idcirco ibi ferè semper aliqui è Societate versari soliti sunt per interualla sibi inuicem succedentes, ut cum rei Christianæ, quoad fieri potest, sine intermissione prospicerent, tum etiam eadem siue incommoda siue merita ad plures sui ordinis homines pertinerent. Eidem Socii cum opus fuit, classium quæ in expeditionem educerentur sese comites præbuere, ut naualis turbæ ac propugnatorum animas curarent simul & corpora. quo in officio vitam Alexius Diazus posuit in eo bello, quod aduersus Turcas superioribus annis est gestum. Alius verò, quo tempore Hormutium obsidebatur à barbaris, cum neophytos ex eo periculo ad Mogastanem oppidum, haud longè ab urbē positum ingenti labore traduceret, varias agere personas coactus est, Ducis, parentis, magistri pro discipulis semper ad mortem parati: ea cum ab hostibus pericula, tum ab incendiis cælique ipsius intemperie & corruptione imminabant. Verum ut ad res Hormutianas reuertat, primus in eam urbem è Societate Gaspar venit, ortus in Belgis, moresque hominum planè solutos ac perditos summa adhibita diligentia breui magna ex parte correxit, atque restituit. furta, scœnora, contractus nefarios sustulit ita multos, ut ex fraudata pecunia nummi aurei plus vices mille in publicum redacti collocandis in matrimo-

*Alexius
Diazus.*

*Gaspar
Belga.*

nis